



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

11. De irregularitate, quæ oritur per cooperationem ad sententiam sanguinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

ad mortem: clarum, inquam, mihi sit: Si enim per illas actiones non concurrerent ullo modo ad mortem, non indigerent privilegio Pontificis ad irregularitatem evitandam. Confirmatur manifeste, nam dum potestas Sæcularis non ex alio processu, nec ex alia sententia, quam ipsa ferat, Hæreticum impoenitentem capite plectit, tota occisionis causa moralis est processus, sententia, & auctoritas inquisitorum. Qua ratione ergo non incurrerent irregularitatem, si à Summo Pontifice per peculiaria privilegia non eximerentur ab illa.

49. Quæres, si non adessent eiusmodi expressa privilegia, possemusne illos liberare ab irregularitate ex eo solo capite, quod modo indicatum est, puta quod tacite Pontifex illos liberet, eo ipso, quod his præcipit, ut sic, & procedant.

50. Respondeo. Possè, docet Gambacurta in simili, de imm. Eccl. 2. §. 7. V. Alique irreg. nota. Is enim sermonem faciens de præcepto Gregorij XIV. quod teneatur Episcopi, facinorosos non exceptos ad Ecclesiam confingentes tradere Curie Sæculari, docet, eos non incurrere in irregularitatem, damnato ad mortem, occisoque dicto facinoroso, quia Gregorius eos ab illa expressè eximit, additque, probabile item esse, eos, non incurrere, etiam si Pontifex expressè non exemisset; satis enim tacite eximit, dum sic fieri, ipse iubet.

51. Confirmari id potest ex Vgol. de Ineg. c. 1. §. 6. Ver. Quid igitur universaliter docente, eum, qui ex mandato Pontificis alium interficit, non esse irregularem, quia iussu (inquit) Pontificis est irregularitatis remissio.

52. Verum ego, quamvis id probabile iudicem in materia fidei, immò, & in materia quacunq; Ecclesiastica; atque adeo in casu nostro: non enim iudicandum est, peccatum ab Ecclesia institutum subire debere eum, qui Ecclesiæ, eiusque Pastori obeditur universaliter, ut docet Vgolus, non mihi videtur probabilis: nam sic, quando Pontifex, ut Princeps sui status præcipit suis Iudicibus, ut morte puniant delinquentes, vel suis Militibus, ut occidant hostes in bello iusto, hi Iudices, & hi Milites, secuta horum delinquentium, vel, hostium morte, non incurrerent irregularitatem ex defectu lenitatis; quod certe nemo dicit. Quid si Pontifex iniuste præciperet, ut tu innocentes interficeres; Ego sane te irregularem faciam, ex delicto, si parcas. Dixi modo (ut Princeps), nam, si ut Pontifex alia esset ratio, de qua dicam §. 14. r. 8.

53. Denique hic duo nota. Primum, mihi nequaquam placere sententiam Ioan. Præp. loc. cit. asserentis, non fore irregulares inquisitores, si prædicta omnia rite agant, quamvis omittant protestationem n. 47. dictam; mihi inquam, non placet, quia privilegia concessa Inquisitoribus, & tacita illa Pontificis voluntas, de non incurrenda irregularitate, sunt sub forma præscriptæ protestationis; ea ergo protestatione omiſsa, non habentur privilegia, vel illa voluntas, sicut non habetur ab Accusatore, quando omittit similem protestationem, ut mox §. sequenti declarabimus.

54. Secundò, Quod dictum est de ipsis inquisitoribus, extendi propter eadem privilegia ad omnes eos, qui ex officio concurrunt, vel auctoritatem dant dictæ sententiæ latæ ab inquisitoribus contra hæreticos, item ad Accusatores, ad Testes, ad Satellites, ad Torquentes eos, ut veritatem dicant, & denique ad ceteros omnes, qui inquisitores adiuvant ad munus ipsorum legitime adimplendum, dummodo hæc faciant in Tribunali Sanctæ Inquisitionis, & immediate ad executionem sententiæ de deformatione non concurrant. Legè Avilam, de Conf. p. 7. d. 56. §. 2. dub. 2. Henrig. 4. c. 12. n. 5. liter. B. Sayr. de Conf. l. 6. c. 18. n. 15. aliosque.

SECUNDA EXCEPTIO

De Degradatione, quæ à iudicibus Ecclesiasticis infligi solet.

55. Quicumque ex Prælati, qui legitime Clericum degradat, eum Sæculari foro tradit, etiam positive, &

directe eum tradendo, nullam incurrer irregularitatem, si forte degradatus à Iudice Sæculari morte puniatur, modo Prælati adhibeat protestationem, seu intercessionem præceptam in Sacro Textu, quam expressam in Pontificali facile poteris legere, quamque habes apud Molinam, tit. 4. tr. 3. d. 49. n. 13. aliòque citatos à Bonac. de Conf. d. 4. p. un. num. 21. siue aliòque solemnitate Degradationis explicantes. Ratio est fore eadem, ac dicta de inquisitoribus. Si eam protestationem non adhibeat, idem dic, quod modo nunc, procedenti de iisdem inquisitoribus dictum est.

§. XI. De irregularitate ex defectu lenitatis, quæ oritur ex cooperatione ad sententiam sanguinis per accusationem.

1. Textus C. prælati de Homic. in 6. sic habet: Prælati, vel Clerici quibuscunque, qui de Laicis suis Malefactoribus querelam penes Sæcularem Iudicem deponentes, & petunt emendam sibi fieri, & provideri, ne contra eos talia de cætero præsumantur, protestando expresse, quod ad vindictam, seu penam sanguinis, non intendunt, imputari non debet, quamvis de lure debeat pena sanguinis irrogari, si index mortem illis inferat, iustitia exigente.

Hæc Textus, cuius tres clausulas breviter, expendimus, nam ceteræ clariore explicatione non indigent.

Prælati, vel Clerici.

2. Quamquam, Textus mentionem dumtaxat facit de his; eadem tamen ratio est de Laicis. Illud tamen discriminis est, ut Laicus accusator non custodiens, quæ in hoc Canone præscribuntur, secuta morte accusati, incurrat solum in irregularitatem, at Clericus, præter irregularitatem, incidat etiam in peccatum, ut habet Suar. de Conf. d. 40. §. 4. n. 8. Sayr. de Conf. l. 6. c. 18. n. 3. Clerici enim propter suum statum curare debent, ne fiant per irregularitatem inepti ad Ordines. An peccatum hoc sit ex se mortale, ex dictis lib. 3. opus. de Sacrific. Missæ. c. 1. §. 8. n. 7. colligi potest.

Querelam deponentes.

3. Sive denunties, sive querelam exhibeas, sive formaliter accuses, nisi in casibus in hoc Textu concessis, de quibus mox, semper eris irregularis, secuta deformatione rei, quia sic moraliter influis in illam, & tunc numeraris inter Ministros iustitiæ.

4. Hinc multo magis Custodes viarum, quibus curæ est, referre iudicibus quicquid ibi agi contingit, si referant delicta aliquorum, unde eorum aliquis reformetur irregulares erunt, quia hi Ministri tunc iustitiæ sunt.

5. Quid de homine privato, qui cum passus sit aliquid à iure, peti à iudice, ut malefactor capiat, vel ubi latet, ostendit, vel similia.

Respondeo. Hic inter accusatores est numerandus. Ita Squillat. de oblig. Cler. p. 6. n. 93. Sayr. lib. 6. c. 18. n. 7. de furt enim crimen iudici: impedit tamen posset irregularitas, si ab ipso fiat protestatio, de qua mox n. 34.

6. Quid de illo, qui furem inveniens domi, vel videns furtum alportari, clamat, alios convocans: Ecce furem, Ecce furem, eum capite, eum capite.

Respondeo, de hoc mox commodior erit sermo §. 13. n. 24.

7. Movit quidam Iuris Canonici peritus hanc dubitationem. Clericus quidam existens in Ecclesia tradidit Episcopo Malefactorem, qui ad eandem Ecclesiam confugerat, contra quam Episcopus sententiam rite tulit, eum non gaudere immunitate, unde eum capientes iudices Sæculares legitimo suspensio punierunt. Dubitavit iuris Canonici professor, an Clericus incidit in irregularitatem? Sed quidam doctus Theologus distinxit.

M m 4 Si

Si Clericus ex se Malefactorem Episcopo tradidit, sciens, vel dubitans, de periculo eius mortis, irregularis erit, sed si ne dubitavit quidem, nullam irregularitatem incurrit. At vero, si tradidit Episcopo, ipso Episcopo mandante, non erit irregularis, quia, tunc egit, ut minister Episcopi & ut unum faciens cum illo, quem Gregorius XIV. liberat ab irregularitate, ut diximus modo §. 10. n. 52.

8. Ego etiam si Clericus ex se tradiderit, semper excusare ab irregularitate, qui non tradit, ut minister Iustitiæ Sacularis, puta, nec ut Satelles, nec ut accusator, nec ut Delator, nec ut testis, &c. At solos Ministros iustitiæ incurrit irregularitatem hanc ex defectu lenitatis, mox late confirmabimus. Adde, traditionem hanc semper esse ex taciō mandato Episcopi, qui non vult in suis Ecclesiis Malefactores, immunitate non gaudentes.

De suis Malefactoribus, quoad malum illatum.

9. Suis (inquit Textus) Quare is, qui illum accusat, à quo in propria persona, vel propriis bonis læsus fuit suum Malefactorem in omnium sententia accusat, unde, si Dominus, si Prælati, Regularis, si Magistratus, cui ex officio incumbit curare bonum publicum, accusent eum debita protestatione eos, qui Servum, Religiosum, Vassallum offenderunt, suum Malefactorem accusant, quia Servus, Religiosus, Vassallus sunt respectivè de bonis Domini, Prælati, Magistratus. Addit Bonacina, loc. mox citando idem esse, & modo dicto accusat eum, qui offendit aliquem sub tua protectione existentem.

10. At comprehenduntur hic mater, pater, consanguinei, ita ut, si hi accusent eos, qui filium, filiam, consanguineos, &c. offenderunt, &c. contra, dicantur accusare suos Malefactores.

Respondet, unum mihi hic esse certum, alterum non item. Certum est comprehendere, si accusent de contumeliis, & iniuriis factis contra prædictos: nam iniuria facta filio, vel consanguineo iudicatur esse patris, vel alterius consanguinei, & de contra. Quare, si accusent, rectè possunt dici accusare suos Malefactores. Incertum autem est mihi, si accusent de damnis illatis rebus, hoc est de bonis temporalibus, v. g. de pecunia per furtum sublata. Cum enim pecunia patris non sit pecunia filij, & pecunia consanguinei, multo minus, sit bonum reale alterius consanguinei, non possunt furantes pecuniam ab uno ex his, dici Malefactores alterius. Quare Bonacina de cens. d. 7. q. 4. p. 2. n. 3. Vgol. de irreg. c. 6. §. 9. num. 4. cum aliis negant sine irregularitate posse prædictos accusare. Sed Copinch. de Sac. d. 18. dub. 10. n. 93. Ioan. Præp. 3. p. 9. §. 5. de irreg. dub. 13. num. 101. Diana, p. 4. tr. 2. res. 33. concedit, semper cum debita protestatione. Ratio fortasse est, quia etiam quoad bona realia malum illatum meo consanguineo propter connexionem sanguinis potest dici meum. Qui autem hi consanguinei sint, qui possint suorum nomine venire, habes apud Clarum, in Praxi crim. q. 14. V. Volo & Abb. c. de car. n. 7. de testib. Felin. C. cum dilectus num. 9. de accusat. aliòque qui suorum nomine venire, docent Patres filios, nepotes, aliòque ascendentes, descendentesque, quibus addunt Diana, & Coninch. II. co. fratres.

11. Plus addit Gibalinus, de irreg. c. 4. q. 3. num. 60. citans Suar. d. 47. §. 2. num. 12. & 15. Putat enim, quando accusatio est necessaria, ad reparandum damnum iniunctum (de quo hic agimus) tertio cuique illatum (etiam si omitti accusatio possit sine peccato (non fieri civiliter accusantem irregularem (intellige, si non est alia via illud reparandi) quia non præsumitur Ecclesia, voluisse impedire licitam defensionem, & auxilium Innocentium. Intellige item cum debita protestatione mox explicanda, saltem pro foro externo, ut habet idem Gibalinus ibid.

12. Quæres, Si damnum mihi à Grassatore v. g. illatum

alio modo mihi compensare, quam accusando possim, possum nihilominus illum accusare, & servari constitutionibus præscriptis, irregularem, secuta accusatio de formatione, non incurritur.

Respondet, cum Bonacina, l. c. n. 3. Squill. l. c. n. 94. Suar. de Cens. d. 47. §. 2. n. 7. contra Ang. V. Homi. §. 2. n. 4. & contra Silvest. quæst. 8. posse, immò, etiam contra Constitutionem aliquando sic peccare, non tamen in irregularitatem incidere, quia hic modus accusationis absolute est à Sacris Canonibus concessus, si agatur de tuo damno, id enim non extendo ad casum, in quo agitur de damno allato alicui tertio, nam propterea modo n. 11. in casu damni alieni interpolui illam parentem (intellige, si non est alia via, &c.

Quoad malum inferendum.

13. Scio, Petrum parare insidias suo adversario. Ego id denuntio iudici, unde Petrus convictus deformatione irregularis Scio Petrum moliri rebellionem contra Regem, Iudici id denuncio, unde Petrus mortis periturus, erone irregularis? &c. de similibus.

14. Respondet, Pro tota hac questione in hac regula. Si accusans accuset, deferat, denuntiet compulsi lege iustitiæ, vel charitatis, ne scilicet damno illo immuni afficiatur proximus, liber erit ab irregularitate. Ratio regularis est, quia lex hæc irregularitatis, Christi mansuetudinem referens, non potest fuisse inducta cum damno Innocentium, obligans ad non manifestandos eos, qui mala moluntur contra proximum, & quæ obliget ad non observanda præcepta charitatis, atque iustitiæ. Quærit ergo quis, ut observet dicta præcepta, accusat, conservatio præcepti facit, ut ea accusatio sit, & consequatur in honestate observationis præcepti, & valde per accidens censetur, quoad ipsum, consequens definitionis.

15. Fit autem accusatio, seu denuntiatio ex obligatione præcepti, si concurrant duo. Primum, ut fiat de malo, quod in futurum imminet. Secundò, ut malum sit publicum, sive private persone non possit averti, nisi accusatione, vel delatione. Quare, si potest averti alio modo, vel, si potest solum per denuntiationem malum independentis in genere sine designatione persone, in venio illo alio modo non utaris, sed designes personam, singularis crisis, secuta de formatione, quia tunc, etiam denuntiatio ex motivo charitatis, non tamen ex obligatione five eiusdem charitatis, sive iustitiæ. Ita Docet Suar. de Cens. d. 47. §. 2. n. 14. Fatina, q. 57. n. 51. num. 67. Fill. tract. 19. c. 9. num. 249. late Gibal. de irreg. c. 4. q. 3. num. 3.

16. Atque in prædicta delatione facta ex præcepto obligante non est necessaria protestatio, ut contra Cuietanus, aliòque ap. Sayr. l. 6. de Cens. c. 8. n. 12. rectius docet Molina; Tom. 1. tr. 2. d. 109. n. 7. Avila p. 7. de Cens. d. 5. §. 2. dub. 12. hæc enim est remedium iniunctum à Sacris Canonibus ad removendam irregularitatem, quæ aliàs ex delatione erat incurrenda. At ex delatione facta ex obligatione præcepti, nulla unquam incurritur de irregularitas.

17. Ex dictis collige cum Suar. loc. cit. num. 16. in discrimina inter accusantem in causa propria, & accusantem in causa aliena, nam ad evitandam irregularitatem, accusare in propria causa quis potest. Primum, cum ob damnum sibi illatum modo supra dictum, aut ad præcavendum malum de futuro. Secundò, potest, etiam ob damnum sibi illatum alia via rescire sibi posset, ut diximus n. 12. Tertio potest in casu, quo ipsi licita est, et permessa accusatio, quamvis nequaquam obligans, si causa aliena. Primum, non potest quis denuntiare, seu accusare, nisi de damno futuro inminente, & forte de damno illato, quod ex Gibalino indicavimus n. 11. Secundò, non potest, si alia via obviare valeat prædicto damno inferendo, quod est dicere, non potest, nisi ad accusandi, vel denuntiandi obligatio.

Hic adde, in propria causa, & in casu dicti n. 1. omnino pramittendam esse protestationem, sed in aliena hac obligante, non item, ut dictum modo est n. 16.

De deferente malum leve, unde nihilominus mors accusati secuta sit.

18. Quidam non multis abhinc annis iuste accusavit suum adversarium de levi crimine, vel in causa civili, cui nullo modo aliqua deformatio debebatur. Sed adversario detructo in carcerem plures alii accusatores apparuerunt cumulatim gravissimorum criminum probationes, unde reus capite punitus interit. Primus accusator fuit irregularis, si protestationem mox dicendam omisit.

19. Respondi, nequaquam fuisse, quia causa mortis non fuit accusatio illa levis, quæ ad summum fuit causa remota, & occasio. Ita Sayr. l. c.

20. Sed quid, si ab hoc levi Accusatore mors accusati prævisa fuisset, vel de ea fuisset dubitatum.

Respondeo, fore tunc ipsum levem accusatorem irregularem. Ita Sayr. de cens. l. 6. c. 18. n. 6. si protestationem omisit, quia tunc prima accusatio conjuncta cum cæteris non est levis, sed certè gravis, ut punitio orta esse præsumatur ab omnibus conjunctim, & illa prævisio facit, ut tua accusatio non sit amplius causa remota, sed proxima mortis, si enim prævidisti, debebas tibi cavere per canonicam protestationem.

21. Si propter improbitatem, vel malitiam mors infligeretur ei, quem accusasti de crimine levi, & prævidisti, vel dubitasti de morte, quia tunc mors oriretur conjunctim ex tua accusatione, & ex iniquitate Iudicis, te irregularem ex delicto facerem.

22. Quid, si accusatio fuit de crimine levi, tibi que leve detrimentum inferente, sed cui ex aliqua peculiari lege mors debeatur? Explico, solent Duces exercitus, vel Principes, utrum bene l. 1. in Decal. c. 1. §. 3. a. num. 13. diximus) ob bonum, fortasse publicum, prohibere, ne quis furtum, etiam leve, faciat sub poena capitis; multis enim militibus parvum factum committentibus depauperari aliquando hominem contingit, singulis enim summentibus unum vix v. g. racemum, depilatur tota vinea. Quæri ergo potest, an, si militem de hoc levi furto sine protestatione accusas, ejus morte secuta, irregularitatem incurras.

23. Respondeo, Sine dubitatione incurris, quia ex tua accusatione jam cum illa lege, quam supponimus te scire, oritur occisio. Et quidem, si lex est iusta, eris irregularis ex defectu lenitatis, si injusta, certè eris ex delicto, quia ad occisionem injustam cum iudice injusto cooperaris.

24. Item dic, si idem latro furtum leve ex bonis Titii v. g. furetur, & aliud leve ex bonis Caii, & aliud simile ex bonis Antonii, &c. Nam, si illum quilibet ex his latronem accuset sine protestatione, unde is ob multiplicata illa furtiva morte plectatur, eris, propter eandem rationem, accusans irregularis.

25. Præter in manus. de irreg. d. 4. c. 4. §. 6. n. 32. fol. 302. asserit accusatorem propter leve sibi damnum è dicto levi furto illatum, etiam si præmittat protestationem, fore irregularem quia est contra Christi lenitatem, velle te prosequi causam mortis ob tam leve damnum tibi illatum. Adde, ideo protestatione præmissa, conceditur, posse accusare, ut tollatur occasio, ne iniqui grave damnum Clericis inferant: at quod damnum est unius uvæ botri, vel unius oboli furtum pati.

26. Verum, posita iustitia legis, hæc doctrina firma non est; clarè enim, & absolute Sacer Textus ab irregularitate liberat eum, qui iuste accusat cum protestatione, quamvis deinde (Iustitia tamen exigente) de forte reus. At, si lex prædicta est iusta, iuste accusat Clericus iustèque condemnat Iudex. Unde ergo, si præmissa tite est protestatio, subdendus sit Clericus irregularitati?

Penes Sæculares Iudices.

27. Si quis Ecclesiasticus habeat jurisdictionem sæcularem, tunc accusare de causa sanguinis, apud ipsum, est, cum accusare penes iudicem sæcularem; tunc enim Ecclesiasticus prælatus, vel iudex ab illo in hac jurisdictione delegatus, iudex est sæcularis.

28. Accusare autem apud Inquisitores hæc locum non habet, quia supra vidimus ejusmodi Accusatorem eximi per Pontificis dispositionem ab irregularitate.

29. Et eodem modo accusare, quempiam apud Iudicem Ecclesiasticum, ut Ecclesiasticus Iudex est, hic locum non habet, quia Iudex Ecclesiasticus nunquam ad pœnam mutilationis, mortisve procedit.

Petunt emendam sibi fieri, & provideri, ne contra eos talia de cætero præsumantur, id est agunt civiliter, non criminaliter.

30. Ea appellatur causa criminalis, in qua examinatur, seu judicatur de crimine alicujus, ea civilis, in qua agitur solum de interesse.

Porro eadem causa criminalis dicitur agi criminaliter, si de crimine agatur in ordine ad illud puniendum, sive per pœnam pecuniariam sibi commodo attribuentem. Dicitur vero agi civiliter, si de crimine agatur in ordine ad refectionem damni illati, puta, ut tibi læso à latrone pecunia ab ipso tibi ablata reddatur, vel etiam ad cautelam, hoc est, ne iterum læso tibi damnum, injuriæque congeriam. Vide de his Doctores Clar. in pract. crim. §. ult. & §. 1. Macar. de probat. lib. 1. c. 146. Far. q. crim. 100. c. 1. a. n. 3. Tusch. V. crim. quando dicitur causa concl. 1083.

31. His præmissis, dico Primum, agenti criminaliter non prodest protestatio ad evitandam irregularitatem, si mors accusati ex vi talis actionis consequatur. Ratio est, quia tunc protestatio esset contraria facto; si enim petitio, seu actio tua sit ad vindictam, quomodo cohererebit cum protestatione, per quam dicis te nolle vindictam?

32. Dico Secundò, ut evitetur irregularitas ab Accusatore, seu Denunciatore, tria concurrere omnino debent. Primum, actionem, quamvis ex se criminalem, non debere criminaliter intentari. Secundum, debere præmitti protestationem mox explicandam, quia ipsa est de forma necessaria, ac substantiali. Ita Vgoh. de irreg. cap. 6. num. 1. Tertium, ut accusatio, seu delatio non sit, nisi de iis, quæ sunt necessaria ad prædictam actionem civiliter intentam.

33. Nota, quando in quodam Textu, C. Postulastis de Homic. excusatur ab irregularitate is, qui prætendens interesse, agit criminaliter, non esse contra prædicta: In hoc enim Textu illud (criminaliter) accipitur materialiter, hoc est agere, vel accusare de crimine, nam propterea additur prætendens interesse, non ergo prætendens vindictam, quod esset agere criminaliter de formali. Ita rectè explicat Avila de cens. p. 7. d. 5. sect. 2. d. 10. Val. diff. 2. V. Accus. cum aliis.

Protestando expressè.

34. Forma hujus protestationis, quam Canonicam appellamus, quia est à Sacris Canonibus præscripta, hæc est: tres clausulas continens.

Accuso Primò, C. Prælatus de Hom. in S. vel denuntio Petrum v. g. grassatorem de furto mihi illato, ac Secundò peto, ut damnum mihi rescatur, & caveatur, ne in futurum simile quid is contra me molatur; expressè tamen Tertio, profiteor ac dico, nolle me, ut contra ipsam Petrum vindicta sanguinis exerceatur.

35. Si à te exhibeantur priores duæ partes dictæ protestationis, omissa tertia, nulla erit protestatio, quia in tertia maxime consistit forma ipsius.

36. Præ

36. Præterea est faciendū coram eo, ad quem deferretur delictum, seu delictum jam fuit, id est, vel in ipso primo limine querelæ, vel antequam processus fuerit absolutus, vel saltem antequam sententia fuerit lata, quia sic potest semper impediri, quantum est ex parte Accusatoris, rei deformatio, Ac post sententiam, licet ante ejus executionem, inutiliter fieret, quia executio impediri non potest post latam sententiam. *Leg. Avilam loc. cit. dub. 9. Sayr. de cens. l. c. 18. n. 3. aliisque.*

37. Quoniam vero à jure non requiritur, ut hæc protestatio fiat cum scriptura satis erit, si solis verbis proferatur, licet ad majorem probationem, consulendum semper sit, ut fiat in scriptis, eorum testibus, in foro judicatio.

38. Denique non est necesse, ut fiat ex vero animo liberandi reum à deformatio. Licet ergo, vel Primum scias, videasque crimen, quod defers, esse grave, unde certò mors reo sit inferenda, vel Secundò, tu illum maxime exoptes, & ficto animo externe protesteris, evades, morte secuta irregularitatem: quicquid in hoc secundo aliqui, ut Nav. l. c. 226. Sylv. V. *Homic. q. 2. §. 8. Ang. V. Homic. §. 6. contradicant, quia satis tu servas, quod Canon præcipit, præcipit autem duntaxat, ut tu demonstres velle Christi lenitatem; &c. & ita sustinet Coninch. de Sac. d. 8. dub. 10. n. 93. G. Hort. de irreg. diff. 11. n. 141. Diana p. 4. m. 2. ref. 75. aliisque.*

Institia exigente.

39. Ex hac clausula advertis, tibi nihil suffragari protestationem, si verum crimen delulisti, sed illud per falsos testes probasti, vel si judicem muneribus subornasti, vel eundem metu compulsisti: sic enim non adfuit conditio iustitiæ, immò, sic, te fore irregularem ex homicidio injusto, si illud sequatur, nulli dubium esse potest.

§. XII. De irregularitate, quam incurrunt testes in judicio ratione cooperationis ad occisionem justam.

1. Testis quicumque iuste testificans, seu approbans, coram iudice Laico in causa sanguinis, sit irregularis ex defectu lenitatis. Ratio est, quia cooperatur ad deformatioem, ad quam damnari quis non potest, nisi causa per testes probetur, nam propterea testes sunt ministri, seu sunt assumpti, ut Ministri iustitiæ. Excipe, nisi quis testificetur ex obligatione præcepti.

2. Dixi (quicumque) id est sive Laicus, sive Clericus (quicquid dicat Farinac. q. crim. 61. n. 66. alique ab ipso citati, excludentes testem Laicum ab hac irregularitate) nam lex Canonica de irregularitate considerat actionem testificandi, illamque irregularitati subiecit, at actio hæc eadem est in Laico, atque in Clerico. Ita Covarr. in Clem. si furios. p. 2. §. 5. n. 5. Suar. de cens. d. 47. sect. 3. n. 2. aliique. Solum nota clericos peccaturos sic testificando; id enim his est prohibitum, ut fuscè tradit Avila de irreg. d. 5. sect. 2. dub. 13. concl. 1. probatque, id quod non est in Laico, addens, Episcopum non posse dare licentiam Clerico testificandi in causa sanguinis contrarium, sed solum in favorem.

3. Nota, si testes fuerint multi, omnes incurrunt in irregularitatem, morte testificati secuta, quia ex omnium testimonio concluditur veritas totius iudicii.

4. Dixi (seu approbans) non solum enim testis examinatus, sive juratus, sive non, sed etiam quicumque sua auctoritate approbat, ut reus torqueatur, &c. hic comprehenditur, hi enim sunt, ut ministri iustitiæ, illique iudex oritur, ad condemnandum reum.

5. Dixi (iuste) si enim injustè testificaris, unde quis accidat deformari, te fieri irregularem ex homicidio injusto voluntario patet ex supradictis.

6. Dixi (coram iudice Laico) nam, si sis testis coram Ecclesiastico, qui nunquam procedit ad deformatio-

nem, vel coram inquisitore, à quo potest privilegium ablatum esse irregularitatem non multo antea dicitur, hic non comprehenditur.

7. Dixi (in causa sanguinis) quia in causis mortis civilibus, ut item in causis, in quibus non est vel quæ deformatio, potest testis quis esse sine metu irregularitatis, nam, si deinde iudex ex hujus testificatione procedat, vel propter imperitiam, vel propter iniquitatem ad deformatandum reum, ipse iudex imputabitur de homicidio, non tibi, quando id nullo modo prævidisti, nam si prævidisti, nec sufficienter cavisti, te esse irregularem ex dicto supra diximus §. præced. n. 21.

8. Dixi denique (excipe, nisi quis testificetur ex obligatione, &c.) nam tunc propter similes rationes, quæ a summi diximus de Accusatore sup. §. 11. n. 14 & 15 dandum est non incurrir irregularitatem.

9. Illud aliquando favere potest absolute testificanti in causa sanguinis. Nam si iudex ex aliis probationibus, nulla prorsus ratione ab ipsius testis onore notam, sententiam sanguinis protulit, irregularitate non efficitur testificans, quia tunc perinde est, ac si is nihil testificatus esset. Ita Navar. conf. 18. de Homic. Vgol. de Irreg. c. 7. num. 9.

10. Advertat tamen Testis, sicuti idem debet adverti ab Accusatore diximus §. 11. n. 32. ne testificetur, nisi ea quæ ad causam civiliter intentandam, probandamque necessaria sunt. Si enim sufficit ad aliam civilem actionem testificari de futo, non potest testificari de delatione armorum prohibitionum, &c. At certe poterit, si non sufficit, puta quia non valuit probare factum esse commissum, nisi probaretur factum, à quo fuisse usum, &c.

11. Inquires, Testes incurruntne irregularitatem, quando testificantur in causa sanguinis pro eo, quod protestatione superius explicata accusat suum Matrem, matrem, ut damnum is relaciat, si forte iulianum propter Ruum morti tradat.

12. Respondeo. Probabile est incurrere, teste Covarr. loc. cit. n. 4. Vgol. de irreg. c. 6. §. 9. n. 3. Bonac. de Conf. q. 4. p. 3. n. 8. sed non minus probabile est, non incurrere. Ita Farinac. q. crim. 62. num. 77. Felin. c. 2. de cens. 2. alique. Ratio prioris probabilitatis est, quia periculum non incurrendi irregularitatem, conceditur eodem accusanti, qui accusat in propria causa, sed Testis testificatur in causa aliena, in causa enim propria nunquam quis admittitur, ut Testis.

Ratio posterioris probabilitatis est, quia Canon concedens id Accusatori, omnino debuit id concedere Testibus, secus quid juvaret Accusatori accusare, si de Testes retardarentur à testificando ex metu irregularitatis.

13. Hic autem advertet, Doctores citatos committere supponere, etiam Testem debere præmittere lenitatem protestationem: at certe non minus probabiliter ea potest, non debere, quia facta protestatio ab Accusatore, sub illa dari Testimonium à Testibus substantiatur, quod est ad ejusmodi accusationem necessarium. Et quo colligo, si in accusatione facta forte non fuit ejusmodi protestatio, tunc enim vero oportere à Teste præmitti.

14. Inquires Secundò. Testis metu gravi compellitur ad testificandum in causa sanguinis criminaliter, incurruntne irregularitatem?

Respondeo. Si id faciat metu peccati in casibus super allatis, urgente nimirum præcepto iustitiæ, vel Charitatis, non incurrere jam satis dictum est superius. At verò, si faciat ex metu extrinseco illato ab aliquo, quoniam iudice, illum cogente, major est difficultas.

15. Dico tamen cum H. nre. lib. 14. cap. 12. num. 9. Suar. de Cens. d. 47. sect. 3. num. 8. Vgol. de Irreg. cap. 7. n. 3. Avila de Cens. p. 7. d. 5. sect. 2. dub. 12. G. Hort. de Irreg. d. 2. diff. 11. num. 40. Dian. p. 4. n. 2. ref. 31. cum in irregularitate incurrere, sive iuste fuerit, sive injustè, nullum tenor. Ratio est, quia semper cooperatio dicitur, quoniam